



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum in hominibus debeant esse diuersi status siue diuersa officia? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

prour scilicet aliquis est sui iuris, vel alieni. Et hoc non ex aliqua causa leui vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente: & hoc est quod pertinet ad rationem libertatis vel seruitutis. Vnde status pertinet proprie ad libertatem vel seruitutem, siue in spiritibus, siue in ciuilibus.

Ad primum ergo dicendum, quod rectitudo, in quantum huiusmodi, non pertinet ad rationem status, sed solum in quantum est connaturalis homini, simul addita quadam quiete. Vnde in alijs animalibus non requiritur rectitudo ad hoc, quod stare dicantur: nec etiam homines stare dicuntur quantumcumque sint recti, nisi quiescant.

Ad secundum dicendum, quod immobilitas non sufficit ad rationem status. Nam etiam sedens vel iacens quiescit, qui tamen non dicitur stare.

Ad tertium dicendum, quod officium dicitur per comparationem ad actum: gradus autem dicitur secundum ordinem superioritatis & inferioritatis. Sed ad statum requiritur immobilitas in eo quod pertinet ad conditionem personæ.

ARTIC. II.

Virum in Ecclesia debeat esse diuersitas officiorum, seu statuum?

865

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Ecclesia non debeat esse diuersitas officiorum vel statuum. Diuersitas enim vnitati repugnat. Sed fideles Christi ad vnitatem vocantur, secundum illud Ioan. 17. Vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus. Ergo in Ecclesia non debet esse diuersitas officiorum huiusmodi statuum.

¶ 2 Præterea, Natura non facit per multa quod potest facere per vnum. Sed operatio gratiæ est multo ordinatior, quam operatio naturæ. Ergo conuenientius esset, quod ea quæ pertinent ad actus gratiæ, per eosdem homines administrarentur, ita ut non esset in Ecclesia diuersitas officiorum & statuum.

¶ 3 Præterea, Bonum Ecclesiæ maximè videtur in

P p 2 pace

pace consistere, secundum illud Psalm. 147. Qui posuit fines tuos pacem. Et secundum ad Corinth. ultimo dicitur, Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum. Sed diuersitas est impeditiua pacis, quam similitudo causare videtur: secundum illud Eccles. 11. Omne animal diligit simile sibi: & Philosoph. dicit in 7. Polit. quod modica differentia facit in ciuitate dissidium. Ergo videtur, quod non oporteat in Ecclesia esse diuersitatem statuum & officiorum.

gl. ord. ex Casiod. SED contra est, quod in Psalm. 44 ad laudem Ecclesie dicitur, quod est circumamicta varietate: ubi glossa dicit, quod doctrina Apostolorum, & confessione martyrum, & puritate virginum, & lamento patientium ornatur Regina, id est, Ecclesia.

RESPONDEO dicendum, quod diuersitas statuum & officiorum in Ecclesia ad tria pertinet. Primo quidem, ad perfectionem ipsius Ecclesie. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, que in Deo simpliciter & vniiformiter inuenitur, in vniuersitate creaturarum inueniri non potuit, nisi diffunderetur & multipliciter: ita etiam plenitudo gratie, que in Christo sicut in capite adunatur, ad membra eius diuersimodè redundat, ad hoc quod corpus Ecclesie sit perfectum. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Epistol. 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum. Secundo autem pertinet ad necessitatem actionum, que sunt in Ecclesia necessaria. Oportet autem ad diuersas actiones diuersos homines deputari, ad hoc expeditius & sine confusione omnia peragantur. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Roman. 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multa membra corpus sumus in Christo. Tertio, hoc pertinet ad dignitatem & pulchritudinem Ecclesie, que in quodam ordine consistit. Vnde dicitur 3. Reg. 10. quod videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis &

habacula seruorum, & ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum. Vnde & Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. quod in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.

Ad primum ergo dicendum, quod diuersitas statuum & officiorum non impedit Ecclesie vnitatem: quæ perficitur per vnitatem fidei & charitatis, & mutua subministracionis: secundum illud Apost. ad Ephes. 4. Ex quo totum corpus est compactum, scilicet per fidem: & connexum, scilicet per charitatem, per omnem iuncturam subministracionis, dum scilicet vnus alij seruit.

Ad secundum dicendum, quod sicut natura non facit per multa quod potest facere per vnum: ita etiã non coarctat in vnum id, ad quod multa requiruntur: secundum illud Apo. 1. ad Corinth. 12. Si totum corpus oculus, vbi auditus? Vnde & in Ecclesia, quæ est corpus Christi, oportuit membra diuersificari secundum diuersa officia, status, & gradus.

Ad tertium dicendum, quod sicut in corpore naturali membra diuersa continentur in vnitatem, per virtutem spiritus viuificantis, quo abscedente, membra corporis separantur: ita etiã in corpore Ecclesie conseruatur pax diuersorum membrorum, virtute Spiritus sancti, qui corpus Ecclesie viuificat, vt habetur Ioan. 6. Vnde Apostolus dicit ad Ephes. 4. Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Discedit autem aliquis ab hac vnitatem Spiritus, dum querit quæ sibi sunt propria: sicut etiam in terrena ciuitate pax tollitur ex hoc, quod ciues singuli quæ sua sunt, querunt. Alioquin per officiorum & statuum distinctionem tam mentis, quam ciuitatis terrenæ, magis pax conseruatur, in quantum per hoc plures sunt qui communicant actibus publicis. Vnde & Apostolus dicit 1. ad Corinth. 12. quod Deus temperauit nos, vt non sit scissima in corpore, sed pro iuicem sollicita sint membra.